

/ Reverende Domine, amice charissime. Quod dixi coram et tibi, et aliis multis, idem ipsum scribere cogor. In explicatione psal-morum non soleo alias horas ponere, nisi quae mihi supersunt ex ne-gotiis publicis; et quoniam publica negotia multa sunt, et saepe  
5 totos dies sibi vendicant; inde fit, ut horae commentandi paucae sint, et interdum nullae. Itaque affirmare non possum, quando finis huic operi imponetur, nec scio, an finis vitae meae finem huius operis subsequetur, an praecedet. Adde quod ad vitandos errores typographorum constitui ipsemet praesidere primae editioni, ex qua  
10 liberum erit Coloniensibus, Lugdunensibus, et Parisiensibus, omnes enim isti opus hoc à me petunt, si voluerint recudere. Vale mei memor in precibus tuis. Romae die 22 ianuar. 1609.

---

Episto.famil. LXIII.